



BALISTA vtrum imperarit ambigitur: sunt qui dicant Quieto per Odenatum occiso, Balistæ veniam datam: attamen eum imperasse, quòd nec Gallieno, nec Aureolo, nec Odenato se crederet. Alij asserunt priuatum in agro suo interemptum. Multi & sumpsisse illum purpuram, & more Romano imperasse, ac exercitum duxisse. Fuit vir quidem insignis, valuit consilio: expeditionibus & prouisione annonaria singularis. Gratias egit Balistæ Valerianus per epistolam, in qua docet sibi præcepta gubernandæ reipub. ab hoc data, gaudens quòd eius consilio nullum adscriptitium, id est vacantem haberet, & Tribunum nullum sti patorem qui non verè pugnaret. Hic nihilominus in tentorio suo cubans, à quodam gregario milite Odenati, in Gallieni gratiam dicitur interemptus. Vide Treb. Pol.

VALENS, militaris vir, simul etiam ciuiliū virtutū gloria pollens, Proconsulatum Achaiæ, dato à Gallieno tunc honore administrabat: quem Macrianus vehementer reformidans, misso Pisone interfici præcepit. At Valēs sibi diligentissimè cauens, nec aliter sibi posse subueniri existimās, sumpsit Imperium, & breui à militibus interemptus est. Fuit & alter Valens, huius auunculus, sed par in ambobus fuit fortuna: nam & ille cū pau-
cis diebus Illyrico imperasset, occisus est. Vide vt supra.